



R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Metaphysicam, id est, Scientiam de Ente incorporeo, seu
transnaturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

X. Quarta pro distinctione virtuali intrinseca in rebus creatis ratio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95247](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95247)

fundamento, & termino discriminasse videtur similitudinem, æqualitatem, & identitatem realem, quatenus videlicet similitudo in vnitare qualitatum, æqualitas in vnitare quantitatum, identitas realis in vnitare substantiarum consistit, cetera vero eas æquiparat. Cum ergo identitas realis, & æqualitas in indiuisibili consistant, similitudo quidem nulla verisimilitudine hinc excipi potest, adeoque debet consistere in indiuisibili.

140 Obiicies secundò: omnipotentia Dei est vna, & indiuisibilis virtualiter proprietates Dei: & tamen similior est potentia Angelicæ, quàm humanæ: maior ergo similitudo alicuius rei creatæ cum alia, eam esse virtualiter indiuisibilem nequaquam prohibebit. Quòd autem omnipotentia similior sit potentia Angelicæ, quàm humanæ exinde constat, quòd potentia Angelica maior, & perfectior sit, quàm humana, & ad ad perfectionem diuinæ omnipotentia magis accedat, eique magis assimiletur.

141 Verum in primis omnipotentia Dei est virtualiter diuisibilis, & multiplex, pro numero effectuum, quorum productiua est, vt inferius ostendemus. Deinde omnipotentia, tametsi virtualiter diuisibilis, & simplex gratis supponatur, similior esse poterit potentia Angelicæ, quàm humanæ, quia nimirum distinctio formalitatum, qua ipsa caret, in potentia Angelica, & humana reperitur, haud secus, ac Deus temporis habenti successiue, & prius vni eius parti, quàm alteri coexistit, non quia in Deo successio aliqua, aut prius, posteriusve reperitur, sed quia in tempore cadenti: & haud secus, ac linea simpliciter infinita similior est lineæ tricubitæ, quàm bicubitæ, non, quia plures habeat partes tricubitas similes lineæ tricubitæ, quàm partes bicubitas lineæ bicubitæ similes; (nam potius hæ partes plures sunt, quàm illæ, vel certe non pauciores,) sed quòd è conuerso linea tricubita plures habeat partes, quibus lineæ infinitæ quodammodo assimiletur, quàm bicubita. Hinc tamen minime fit, in creatis Petrum, v.g. similiorem esse Paulo, quàm Bucephalo absque eo, quòd in Petro distinctio formalitatum sit: siquidem ea distinctio in termino saltem similitudinis Petri reperitur, vt, vel exemplo omnipotentia conspicuum est: cum ergo fundamentum, & terminus eius similitudinis, Petrus nimirum, & Paulus eiusdem rationis sint, necesse est, vt sicuti in vno, ita etiam in alio distinctio formalitatum reperitur.

142 Obiicies terriò: in homine nullam esse formalitatem, quæ non sit similis equo, & nullam, quæ dissimilis non sit: falsò igitur in argumento supposuimus, hominem habere aliquas formalitates omnino similes equo, & alias ei nullo modo similes, vt inde maior similitudo hominis cum homine, quàm cum equo eluceret. Antecedens probatur quoad vtramque partem: quia animalitas hominis prout virtualiter condistincta à rationalitate ei realiter identificatur, & hinnibilitati repugnat: animalitas autem equi eam identitatem & repugnantiam non habet: ergo prout virtualiter distincta à differentiis dissimiles sunt, ac proinde nulla formalitas hominis omnino similis equo est, siquæ enim talis esset, maximè animalitas. Rursus rationalitas, & hinnibilitas eadem ratione similes in eo sunt, quòd ambæ animalitatem secum identificari essentialiter possunt: nulla ergo hominis formalitas equo est omnino non similis.

143 Respondeo: animalitas hominis, prout à rationalitate virtualiter condistinguitur, nec habet identitatem realem, nec carentiam identitatis realis cum rationalitate, nec etiam hinnibilitati repugnat, nec

carentiam habet eius repugnantia, haud secus, ac dici consuevit, voluntatem pro priori natura suæ libertatis, & indifferentia proximæ haud habere amorem, haud etiam eius carentiam, & negationem. Huius ratio est, quia signum illud animalitatis est ipsa animalitas præcisè sumpta: animalitas autem per seipsam præcisè, nec rationalitati realiter identificatur, nec hinnibilitati repugnat, sed ea identitas, & repugnantia in complexo animalitatis, & rationalitatis consistit, vt plures arbitrantur, vel, quod probabilius est, in prædicato aliquo ab animalitate, & rationalitate virtualiter distincto, & inter vtramque medio. An autem ex eo prædicato sequatur processus in infinitum formalitatum virtualiter distinctarum, an potius non sequatur, sicuti non sequitur processus in infinitum modorum ex eo, quòd materia, v.g. per modum à se distinctum vni formæ vniatur, & ab altera auellatur, inferius disceptabimus.

Hinc ad reliquam obiectionem patet: namque rationalitatem, & hinnibilitatem per semetipsas præcisè non identificari cum animalitate, dictis consonum est: hinc etiam apparet, quatenus argumentum deductum à similitudine hominis cum equo efficax sit, ac solutio ei adhibita traët. præcedenti cap. 4. ad finem minime satisfaciatur.

CAPVT X.

Quarta pro distinctione virtuali intrinseca in rebus creatis ratio.

145 **C**Vi necesse est præmitti quædam. Primum esto, eundem actum intellectus posse esse intensum, & remissum intuitu diuersorum obiectorum. Hoc probatur: quia idem actus intellectus potest cognoscere diuersa obiecta, vel formalia, vel certè, quod in præsens sufficit, vnum formale, & materiale aliud: respectu ergo vnius poterit esse intensus, & contemplatione alterius remissus: quemadmodum enim anima rationalis, hoc ipso, quòd eadem indiuisibilis sit in manu, & in pede, in hoc velociter, & in illo segniter, & remisse moueri simul potest, ita similiter vbi eadem cognitio intellectus nostri ad plura se extendat obiecta: in iisque sit intentionaliter, vnius profectò comparatione intensa, & alterius remissa esse valebit. Iam secundò, eadem cognitio nostra potest ferri in Deum, & creaturam, in hanc clarè, in illum obscure, & in hanc intuitiue, in illum abstractiue. At quòd clarior est cognitio, eò intensior est, & quòd obscurior est, hoc remissior, non aliter, ac lux corporea pro maiori claritate maiorem intensionem, & pro maiori obscuritate maiorem itidem remissionem habet, planè vt claritas, & obscuritas illius ab intentione: & remissione non distinguatur: idem ergo intellectus actus contemplatione duorum obiectorum intensus simul, & remissus esse potest, & solet.

146 Præterea: idem habitus potest esse intensus, & remissus, perfectus, & imperfectus respectu diuersorum actuum, haud aliter, ac eadem potentia comparatione diuersorum effectuum perfecta, & imperfecta est, & ad alios adminiculo alterius causæ eget, ad alios verò suis tantum trita viribus sufficit: quæ enim repugnantia in huiusmodi habitu est? Quin etiam plerique Thomistæ de facto, vt aiunt, habitum Logicæ, v.g. vnum, eundemque esse respectu definitionis, & demonstrationis, & comparatione vnius intensum, ac perfectum, & alterius nondum talem, sed potius

potius remissum, & imperfectum esse censent: quid ergo prohibet, eundem actum intellectus esse clarum, & obscurum, intensum, & remissum intuitu diuersorum obiectorum, in quæ simul feratur? Adde, multo magis opponi amare, & odisse, quam amare intensè, & amare remissè: at idem actus potest esse amor & odium respectu diuersorum, vt suprà multis confecimus argumentis: ergo & idem amor à fortiori poterit esse intensus, & remissus comparatione plurium: Pari ergo ratione idem actus intellectus poterit intensio, & remissionem fortiri contemplatione alterius, alteriusque obiecti: quæ enim vtriusque disparitatis ratio? quod si aliqua est, nihil refert: argumentum enim, quod instaurandum est nobis paulò infra, iisdem neruis contendere potest in ipso actu amoris, comparatione plurium obiectorum intensio, & remissio.

147 Præmitto secundo, actus intellectus intendi, & remitti per additionem, & ademptionem graduum; quamuis non in hoc rerum ordine ob rationes in Metaphysica expendendas, at certè in alio diuinitus possibili: Hoc suadetur primò: quoniam intensio albedinis, aut nigroris modò etiam fit per adiectionem graduum, & remissio per graduum ablationem, & carentiam: quid ergo prohibet, actus intellectus simili modo intendi posse, ac remitti? vt enim in alia rerum serie alias imperfectiones, cur non etiam intensio, ac remissionem gradualem subire queant? Rursus nigredo, & albor, licet modò graduum nouo quodam incremento, & decremento intendantur, ac remittantur, haud tamen repugnat, in alio rerum ordine eos sine gradibus intendi, ac remitti, vt in loco ostendimus. E contrario ergo, quamuis actus intellectus modò habeat intensio, ac remissionem, non gradualem, & indiuisibilem, haud tamen repugnabit in alio rerum statu eam habere gradualem, & diuiduam. Præterea plerique nostræ Societatis I. E. S. V. auctores, præsertim verò ij, quibuscum toto hoc tractatu nobis lis est, in ea sententia sunt, vt existiment actus intellectus, & voluntatis modò etiam accessione, & decessione graduum intendi, & remitti. Hoc autem nobis abundè est, vt saltem ad homines, quod aiunt, efficaciter argumentemur.

148 Tandem habitus etiam modò, & prout res iam à Deo institutæ sunt additamento graduum intenduntur, eorumque detrimento, & carentia remittuntur: aliunde verò habitus vnus, idemque manens potest esse intensus, ac remissus respectu diuersorum obiectorum: cum enim hoc habere queat actus, quidni, & habitus, qui obiecta non nisi medio actu respicit? Quare in habitu argumentum mox instaurandum totam suam vim poterit exere, si actum intellectus, aut voluntatis, qualem supponi volumus, aduersarij renuant. Quod autem habitus modò gradualem habeat intensio, ac remissionem, suadetur: tum, quia id satis insinuat Concilium Tridentinum definiens, nos mereri augmentum gratiæ, quod difficile intelligitur absque latitudine graduum, & partium in habitu gratiæ: tum etiam, quia quando quis habitu temperantiæ, valde intenso præditus actum tamen intemperantiæ elicit, hoc ipso oportet, habitum temperantiæ in eo minui, ac remitti. Aut ergo pars aliqua, gradusve illius deperditur; & ita intantum adeptus sum: aut totus habitus indiuisibiliter perit, & loco illius aliàs indiuisibilis aliquantulum imperfectior succedit; & hoc sustineri nequit: nam habitus talis non habet causam, à qua tunc repente producat: quæ etenim, aut qualis est? non Deus solus; aliàs prima tempe-

rantia productio in eum solum posset refundi: non actus præteriti temperantiæ; cum enim non existant, nihil operari possunt: non voluntas nostra, hæc si quidem absque exercitio actuum temperantiæ eius habitum producere nequit, vt ipsamet experientia demonstrat. Simili argumento probari consuevit, calorem remitti paulatim in aqua haud sine latitudine graduum, & partium, quibus constet: nisi enim partes eius quasi pedetentim depereant, sed totus calor indiuisibiliter euanescat, aliisque imperfectior ei succedat, nulla huius causa assignari poterit: nec enim Dens, nec calor præteritus, nec etiam aqua per se solam.

149 His igitur constitutis, hunc in modum argumentor. Eadem realiter cognitio est intensa respectu creaturæ, & remissa intuitu creatoris, atque comparatione huius obscura, & illius clara: hoc autem intelligi nequit, quin prædicata contradictoria suscipiat, vt ad distinctionem virtuales oportet: namque habere formam, & carentiam formæ sunt prædicata contradictoria, vt certo certius: cognitio autem illa, vbi sit eius, quam exposuimus intensio, & remissionis, habet formam, & carentiam formæ: formam, id est gradus intensio, quatenus est clara, atque intensa: carentiam formæ, hoc est carentiam graduum intensio, quatenus est obscura, atque remissa. Videamus, quid huic argumento responderi possit?

150 Dicit fortasse non nemo, cognitionem illam esse intensam per additionem graduum, quibus denuo creaturam respicit, remissam verò per carentiam, non eorundem graduum, sed aliorum, eorum scilicet, quibus, si adessent, ac superuenirent, creatorem respiceret, clariusque cognosceret: hanc verò formam, & carentiam non illius, sed alterius formæ non esse prædicata contradictoria, sed potius compossibilia inuicem. Hæc solutio supponit, gradus, per quos intendi potest illa cognitio in ordine ad Deum, & eos, per quos intenditur in ordine ad creaturam, esse realiter distinctos: hoc autem fundamentum, cui tota innititur, imbecillum, & ruinosum esse facile ostendo: etenim ea cognitio, vt supponimus, est eadem realiter respectu Dei, & creaturæ: ergo ad minimum primus eius gradus respectu Dei, primusque gradus intuitu creaturæ vnus realiter, & indiuisibilis erit: Quod si primus gradus illius tantum virtualiter multiplex est, & non realiter, cur idipsum de secundo, tertio, quarto, & reliquis dicendum non sit, ita, vt nullus eorum realiter multiplex, ac diuiduus sit, comparatione Dei, & creaturæ: falsò igitur duæ illæ series graduum adstruuntur. Declaratur: idcirco cognitio, & amor intenduntur per duas graduum series realiter distinctas, alteram cognitionis, alteram amoris propriam, quoniam cognitio, & amor realiter distinguuntur: si ergo cognitio Dei, & cognitio creaturæ vna, eademque realiter est, non verò realiter multiplex, ac diuidua, sanè non poterit intendi per duos ordines graduum, quorum alter sit respectu creaturæ, & alter intuitu creatoris.

151 Dicit secundo aliquis, & superiorem confirmabit solutionem. Cognitio illa, respectu creaturæ intensa non est comparatione Dei remissa per carentiam eorundem graduum, quibus creaturam respicit: ergo per carentiam aliorum: alij ergo, aliique admittendi sunt. Quod autem non sit remissa per negationem eorundem graduum, quibus est intensa, videtur perspicuum, quia, nec eorundem, nec vniuersum vilius formæ potest dari simul existentia, & carentia: cum ergo cognitio illa sit intensa per existentiam plurium graduum respectu creaturæ, non poterit

poterit esse simul remissa per carentiam eorundem eorumve negationem. Hæc tamen euasio est, præcludi facilis. Etenim cognitio illa, quatenus est creaturæ, terminat vnionem cum nouis gradibus idem repræsentantibus obiectum: & quamuis gradus eiusmodi repræsentent etiam creatorem, cognitionem tamen remissam illius non intendunt, eo, quod hæc eos non terminet: distinctio namque virtualis illius cognitionis præstat, vt illa, quatenus est creaturæ, terminet vnionem cum gradibus denotio superuenientibus, quatenus vero est creatoris, eam non terminet vnionem. Hinc est, vt eorundem graduum detur simul existentia, & carentia, non quoad entitatem (hæc enim repugnat, vt recte supponit obiectio) sed quoad vnionem: eum in modum, quo candor existit in hoc pariete, & carentia illius in alio pariete non albo reperitur, carentia, inquam, illius quoad vnionem, eo nimirum, quod candor vni parieti, & non alteri vniatur, & in vno, non verò alio existat.

152 Dicitur tertio: fieri non posse, vt gradus v. g. quartus denuo superueniens, creaturamque, & creatorem ex æquo repræsentans, quatenus est creaturæ, huius cognitioni, & intellectui nostro vniatur, sicut ad eius intensiorem oportet; quatenus verò est creatoris huius cognitioni virtualiter tantum distinctæ à priori, aut etiam intellectui neutiquam vniatur, sicut ad eius formalitatis remissionem opus est. Nam si gradus ille, quatenus repræsentat creatorem, non denominat intellectum clarius cognoscentem illum, eiusque cognitionem intensiorem non efficit, eisque nullatenus vnitur, superflua videtur esse in eiusmodi gradu repræsentatio creatoris: natura autem à superfluo abhorret. Verum, tamen in hoc naturali rerum ordine, ac statu superfluum dari nequeat, eum tamen in alio præternaturali, nihil prohibet admitti: hoc ergo ex capite gradus superueniens vna sui formalitate Deum repræsentans, haud tamen efficiens, vt intellectus eum clarius, & intensius cognoscat, neutiquam reiiciendus est. Rursum eiusmodi gradum superfluere, haudquaquam sequitur: namque formalitas, qua Deum repræsentat, saltem deseruit, vt alia formalitas secum identificata existat, creatoramque clarius, & intensius cognosci faciat. Præterea etiam ex natura illius formalitatis Deum repræsentantis non oritur, quod illa intellectum non afficiat, ad Deumque clarius cognoscendum non euehat, sed per accidens ex natura specierum impressarum, quæ, si alia essent, haud dubie prior cognitio, & intellectus utramque formalitatem superuenientis gradus terminarent. Quod autem per accidens tantum impeditur à suo munere, in rebus superfluum non est.

CAPVT XI.

Aliæ quinque rationes pro distinctione virtuali intrinseca in rebus creatis.

153 Inter ens reale, & rationis ens strictè sumptum reperitur ens quoddam medium ab utroque distinctum, nimirum ens negatiuum, siue carentia, vt interim omittam eiusmodi ens medium, quod in processu dialecticæ tract. 1. cap. 9. & 10. explicatum, & probatum manet: similiter ergo inter distinctionem realem, & distinctionem rationis, seu considerationis distinctio quædam media admittenda est, videlicet distinctio virtualis intrinseca, quæ quidem, nec realis est, vt constat, nec etiam rationis propriè loquendo; quippe quæ rationis opus omne antecurrit.

Item non magis requiritur distinctio realis ad hoc, vt aliquid suscipiat prædicata contradictoria, quàm veritas ad hoc, vt aliquid realiter, ac verè cognoscatur. Hoc adeo manifestum est, vt neminem arbitretur fore, à quo deposito partium studio negetur: Sicut enim munus distinctionis est facere, vt extrema distincta suscipiant prædicata opposita, ita etiam officium veritatis est præstare, vt res vera realiter, ac verè cognoscatur: sed aliquid verè, & realiter cognosci potest, quin veritate propriè, ac simpliciter sumpta prædicitur sit: similiter ergo aliquid subesse potest prædicatis oppositis, & contradictoriis, quin distinctione propria, ac reali gaudeat, eiusmodi autem res nequit non virtualiter distingui; & in semetipsa diuidi, vt cerro certius. Assumptio argumenti, quæ solum eger probatione, hunc in modum probatur. Carentia Antichristi v. g. verè, & realiter cognoscitur, cum à Deo, tum etiam à nobis: ea autem veritatis propriè, ac simpliciter sumptæ expers est: cum enim non propriè, ac simpliciter ens, veritas autem ens sequatur sit pro velut eius proprietas, ea veritatis citra dubium erit exors; vt etiam aduersarij in confesso habent.

Insuper haud magis necessaria est distinctio realis ad prædicata contradictoria, quàm bonitas, vt res ametur: Quis hoc neget, si absque contentione studio rem inspiciat? Atqui carentia pœnarum inferni v. g. propriè, ac realiter amatur, quin tamen bonitatem simpliciter ac propriè sumptam habeat: quod enim de veritate iam iam diximus, id ipsum de bonitate pari iure dicendum est; cùmque bonitas sit passio entis, quod propriè non fuerit ens, bonum propriè esse nequit, adeoque carentia, vt entitate omni, sic etiam bonitate omni immunis erit: at amatur tamen: Quidni ergo sine distinctione reali, ac propria aliquid prædicata contradictoria suscipiat.

Ad hæc: quemadmodum prima facie apparet, sine distinctione reali nulli rei prædicata opposita conuenire, ita videtur prima specie à pariete v. g. candorem expelli non posse sine introductione formæ realis, & positivæ, quæ quidem ei sit opposita: namque si nihil reale, & positium denuo produci- tur in pariete, cur, tam ille, quàm candor eodem modo non se habeant sicuti antea? aut quo pacto per omnino nihil immutari verè queant? At hoc non obstante per solam carentiam candoris seorsim ab introductione vllius formæ realis contrariæ destrui potest, atque à subiecto expelli candor: similiter ergo prædicata contradictoria rem afficere poterunt sine distinctione reali. Declaratur: non magis requiri videtur distingui realiter duas res, vt prædicata contradictoria subeant, quàm aliquid esse positium, vt gerat oppositionem cum alio: quod enim propriè non ponitur, siue esse positium non habet, quomodo alteri opponi potest, cum poni in hoc, quod est apponi, includi videatur. Atqui carentia, cum non sit aliquid positium, sed merè nihil, propriè tamen, ac verè opponitur formæ contrariæ, eamque euertit, ac demolitur: distinctio ergo virtualis, tamen realis, ac propria distinctio non sit: sed potius identitas, inferre poterit prædicata contradictoria.

Tandem: species impressa, sicuti communiter admitti, & explicari consuevit, quin sit obiectum cognitum, facit tamen, quod efficeret obiectum, si esset præsens potentia, & cum ea proportionem haberet; potentia enim indifferentiam determinat, & simul cum illa ad cognitionem concurrat. Calor etiam, cum non sit lux, eius tamen vicem gerit, & sicut illa calefacit: infinitus sim si alia id genus exempla